69

14

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS mane discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis octavâ mensis Januarii, anno Domini M. DCC. L.

M. CAROLO PAYEN, Bibliothecæ Facultatis Præfecto, Doctore Medico, Præside.

An mente motis multum Sanguinem detrahere conducat?

I.



UOTIES ortus idæarum non respondet externis causis, sed internæ cerebri dispositioni, unà cum judicio, animi affectu, motuque sequentibus; ideoque turbatur, languet, aut depressa fatiscit cuique hominum concessa divinitùs facultas illa rationalis, quâ cogitat & vult: toties hunc mente moveri dicitur. Ut autem variæ sunt mentis operationes, sic & illarum emotionum diversæ sunt species, in hoc uno semper congruentes, quòd supponant omnes intùs mutatam & afflictam naturalem cerebri dispositionem. Summa hæcce varietas à garrulitate ad taciturnitatem, à stupiditate ad fatuitatem, à mœrore & morositate ad hilaritatem nimiam, ab impudenti jactatione ad catochen, ab agrypniâ ad lethargum, ab apositiâ ad effrænem cibi alicujus appetentiam, à memoriâ læsâ ad omnimodam oblivionem, à melancholiâ ad maniam tyriodem; à levi, obscurâ & fugaci desipientiâ ad delirium, imò ad ferocem & truculentam phrenitidem, per multa discrimina acri judicio perpendenda procedit. Morbi naturam, speciem & causas revelant signa antecedentia, concomitantia: quin & ad diagnosim confirmandam non minor est quàm ad prognosim supervenientium energia; simulque collecta cogniti curationem disponunt & ordinant. Animadvertendum igitur sedulò; quinam humor prædominans ægri temperamentum constituat? Quânam intemperie laboret? An à præfervidâ & *inflammatoriâ* solidorum diathesi; accensis ne ab humoribus aut adustis, utrum à nervis ipsorumque principio exsiccatis, lentore ve infarctis, remollitis atque torpidis, affectio illa oriatur? cuinam morbo illud symptoma comes addatur? Quânam ipsius periodo appareat? Perspecta denique passionis illius mansuetudo, opportuna brevitas, contumax pertinacia; instantis criseos cum ipsâ affinitas, hujus potentia, gravioris alterius symptomatis præsentia vim habent indicandi, num ab illâ turbatione aliquid timendum? An & quò usque sibi relinquenda sit? Quânam arte, quibus auxiliis veniat compescenda? Num illius post habenda cura?

II.

QUÆLIBET mentis alienatio tum lenis & obscura, tum vivida & furens tardis aut celeribus morbis annumerabitur ratione temporis; sedis verò & in-

ſultûs vel idiopathica erit cerebro vel ſympathetica. Quarum cauſas antequam aſſignemus, cum Galeno eos inſanire dicemus, qui citra febrem deſipiunt: phrenitizein autem, qui cum febre, crocydiſmo ſive carphologiâ, parvo pulſu ac denſo id patiuntur. Cæterùm ubique aderit pro diversâ cauſæ acceptione & explicatione aut juxtà antiquos phlogoſis, id eſt, morbus ſiccus & calidus, qui nihil aliud erit quàm ſimplex intemperies ignea, calor hecticus, quo partes corporis veluti peruri atque igneſcere videbuntur; aut ſi mavis cum Sydenhamio ſolis motibus ſenſiferis credenti & attendenti erit ſpirituum ataxia, & entium illorum penè immaterialium per cerebrum, nervos nerveaſque partes inordinata (1) concurſatio. Hæc enim intùs ſuſceptâ labe excitabitur, quò pervadere & permeare poſſunt venenorum quorumdam dira ſubtilitas, ut & miaſmatum peſtilentium (2) per aëra volitantium vel ex internâ mephiti exhalantium ſtimulus indeſinenter laceſſens. Peccantes quoque nimiâ mobilitate, fixitate, denſitate, nonnumquam viſcoſitate, inertiâ, atque, ut ita dicam, vappiditate iidem ſpiritus, aliuſmodi mentis errores producent. Pariter juſtò frequentiùs exhauſtis cujuſcumque generis evacuationibus deficientibuſque iiſdem motoribus nec juſſa rectricis animæ percipere, nec ſuos ſenſus expromere valebunt homines: non conſtabunt mente. Erit etiam ad alienationis decernenda incomoda, & decernendas inſanias affluentibus aut irruentibus circa ſenſorium commune & ad partes ei reſpondentes humoribus ſuus activitatis gradus, ſua efficacia, tùm ſuâ copiâ premendo & gravando, tùm ſuâ præſentiâ infarciendo, denique ſuâ qualitate moleſtando. Idcircò quò denſiùs pars quædam nerveis ſtaminibus erit conſita, eò certiùs, citiùs, vividiùſque ab eâ incendium, vaſtatio, & ruina propagabitur ad cerebrum nervorum principium & originem. Ex recenſitis hiſce cauſis ſeorſim ſumptis, & ex ipſo plurium concurſu deducuntur indicationes morbo debellando pares. Quibus copioſæ ſanguinis detractionis effectus an ad amuſſim reſpondeant inveſtigandum habemus?

(1) Aſclepiad. apud Cæl. Aurel. acut. morb. lib. I. cap. 14. p. 37. Edit. Lugd. in-8°. 1569.

(2) P. Alpin. de med. Ægypti. lib. I cap. 13. p. 25. & de Med. method. lib. 7. cap. VI. p. 395. Edit. Lugd. Bat. in-4°. 1719.

I I I.

ADEO incertæ ſunt derivationis & revulſionis in humano corpore leges; (3) tam lubricum eſt iter per experimentorum ambages & phyſicæ miniſteria; tam ſæpè invenit ſibi ipſi natura vias, non ex cogitatione, ut præter depletionis beneficium parum ſit à ſanguinis miſſione ſperandum præſidii. Non feliciùs Harveo duce & auſpice naturæ conamina ars æmulatur. Effectâ venâ profuſus ſanguis, ligaturarum, cucurbitularum, ſcarificationum aliorumque revellentium externorum vices non ſupplet, dum vires enervat, frangit & diſſipat magis, ſicque ſtagnationes adauget. Revera ortas ab affluxu & morâ ſanguinis ſolidorum ſtricturas poterit laxare & ſolvere; ſed irrequietos ſtimuli aculeos nullatenùs obtundet, ipſum non dimovebit. Inquinatos humores non extrahet, non mutabit in melius. Ad diſgregationem tendentibus nova fræna non injiciet, nec priſtina vincula conſtringet arctiùs. Putredinis tetros halitus non ſuffocabit. Nimiæ ſpirituum levitati, niſi ſubſtracto ipſorum pabulo, proindeque cum totius vitæ diſpendio, obviam non ibit. Lentos & inertes ſpiritus non ſuſcitabit, non promovebit; non recreabit vappidos, non exacuet. Canales quos alluit ſanguis, quaſi corticem noſtri corporis compaginant, & hominem quemdam exteriorem componunt. Quo pacto, quibus mediis, quâ commercii lege illius effluxus in tantâ diſtantiâ poſſet ſuccurere ærumnis & angoribus hominis alterius interioris tam acutè à Sydenhamio excogitati, ab eodem tam graphicè delineati, à Boerhaavio ſemper cum admiratione decantati. Fruſtrà adverſùs calorem nimium illud auxilii genus adhibetur, quod ſit potius extinctio quædam & diſſolutio caloris nativi quàm refrigeratio. Fidem faciunt extremæ pulſuum diminutiones & ipſa non unquam, niſi cautè advertatur mors inopinata. Tanta eſt per profuſam eam evacuationem facultatum omnium viriumque proſtratio. Certè præſtigiis non humanæ arti confidat neceſſum eſt, quiſquis ſanguine affatim educto mederi morbo præſumit, quem periculoſiorem invehit ſanguinis profluvium.

(3) Vid. Solano de Luque in lib. LapisLydos appollinis proœ. p. 2. par. VI. p. 269. & ſeq. & alios.

3

Juvat etiam referre veteres Medicos cautos valdè olim & circumſpectos fuiſſe in ſanguine (phreniticis præſertim) mittendo ; ita ut Aſclepiades, Celſo teſte, dixerit, *phreniticis ſanguinem mitti perinde eſſe ac ſi trucidentur.* Id licet Celſus improbet, conſtat tamen ex ſuis verbis eum in ea re oppidò fuiſſe circumſpectum. Semper enim apud ipſum legitur, *quòd ſi vires ægri patiantur, ſanguis mitti debet.* Monet & venæ inciſorem Aretæus (4), *ne multum ſanguinis detrahat, licet à principio ſecet ; phreniticis namque malum eſt in ſyncopen facilè mutabile.*

(4) Pag. 73. Edit. Boerhaavii.

I V.

LONGE à recto deviaret, qui ſibi in animum induceret, caſſam hanc veterum formidinem, totumque curationis apparatum horum potiùs ignorantiæ deberi, quàm prudentiæ. Quippè qui aliis in caſibus, multò ſanè rarioribus, quàm vulgò creditur, uſque ad animi deliquium ſanguinem effundebant. Verùm tantam virium rationem habebant, Naturæ decertantis motibus & auſis fidebant tantùm, ut potior ipſis cura ſemper foret, non ſolùm eas conſervare, ſed & ipſas oblato cibo juxta morbi typum recreare & confortare. Adverterant autem febrile incendium, delirii agitationes, vigilias aſſiduas; identidem cibi faſtidium, & potûs horrorem, qualis in rabiosa cane demorſis obſervatur, potenter vires atterere; atque præter ſanguinis jacturam repetitis venæ ſectionibus opportunam cibi exhibendi occaſionem elabi. Quapropter (ut ait Aretæus ibid. p. 77.) *ſi viribus evaneſcentibus, in ſudorem liqueſcente homine, omnibus humoribus extrorsùm impetum facientibus, tenore & ſpiritu fatiſcentibus in ſyncopen prolabantur, tunc cura delirii poſthabetur. Sed quum metus ſit ne in vaporem humiditatemque homo diſſolvatur, unicum ſubſidium vinum eſt.* Eâdem mente venæ ſectionem dimittebant, ſi ultra conveniens tempus, putà ſexto aut ſeptimo die, mentis emotio ſuperveniret ; ab Hippocrate edocti, multò antè judicationes in acutis morbis vacuandum eſſe, aut purgandum, aut aliis irritationibus utendum. Vires non labefactabat magis reliqua curandi methodus ; attractus nempè capitis circa aures & tempora, membrorum frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ, fomenta ſingulis partibus nata, interna confortantia, urinam moventia, anodyna, quandoque & (5) narcotica. Sic convulſiones & ſpaſmos procurabant, in quos ob ſiccitatem & caloris vehementiam nervos torrentem, phrenitici valdè labiles ſunt; ſic vitam aſſerebant; ſic morborum recidivorum & ſucceſſivorum radicem reſcindebant; ſic ægris promptè & non laboriosè convaleſcere dabant. Quod optant, mehercle, ſed præſtant rarò qui per morbi decurſum ſanguine corpus exhaurire non ceſſant. Qui à propoſito non deterrentur temperamento, ætate, regione, anni tempore, morbi periodo, die, oculis ægrorum languentibus & depreſſis, ipsâque exangui & pallidâ facie, cruoris penuriam atteſtante. Quidquod eodem remedio pari cum audaciâ uti non dubitant, ſi forsàn ſuccenſas mentes morbi recrudeſcentis furiæ agitaverint. Sed quod fidem omnem ſuperat, fama eſt quoſdam ex illis auxiliatoribus, ſanguinis humani adeò eſſe avidos, tot ab illo emiſſo commoda ſperare, ut ſtimulantibus & cardiacis robur in ægris mentiantur, donec penitiores receſſus ſanguine prorsùs evacuaverint. Intereà aquæ potu, & tenuiſſimo victu ægros refocillant & vires ſedulò reficiunt, ne ſuccreſcens plethora vitæ fomitem extinguat. Deindè ſtupent quaſi attoniti, ſi exinanito incaſsùm corpore, idem protervè delirium permaneat; aut ſi miteſcant ſoli furores & lethargus inſtet. Quam Therapeiam, ſi qui ſequuntur fauſti exitus, nedùm artis in Naturam imperium & jura evincant, ut potiùs extra omne dubium ponant inconcuſſam effati Hippocratici veritatem, *Naturam robuſtam omnia contemnere.*

(5) Ætius ex Sent. Philumeni med.

V.

IGITUR à ratione dejectos ad meliorem & placidam mentem certò certiùs non reducunt ſanguinis iteratæ miſſiones; at præcipuè cùm nervi ipſorumque principium vitium in ſe contraxerunt : neque etiam juxta Methodicos peccantibus

& alteratis humoribus. Sibi enim perſuaſerant humores non eſſe cauſas morborum, (6) eoſque per ſe curationem non indicare. In quorum partes ſine morâ iis tranſeundum, qui experti ſunt poſtillos, humoris educti qualitates varias, (7) & cum illis ſymptomaticas evacuationes, non ſecùs ac artificiales, nullum levamen attuliſſe. Mirum quippè eſt quamobrem hæmorrhagiæ, copioſi ſudores & vomitus itidem copioſi (ſi ſanguis, humores bilioſi, tenuiſſimi virulentique morbos illos concitaverint) non multos juverint. Namque de phrenitico qui tertio die obiit, ita habet Hippocrates. *Phreniticus primo quo decubit die, virulenta vomuit, & multa & tenuia, febris horrida, copioſus ſudor, aſſiduus toto corpore.* Et paſſim apud eumdem ubi de evacuationibus ſymptomaticis agitur. Sunt nihilominus quædam phrenitidis ſpecies, in quas pleuritides & peripneumoniæ mutantur, à quibuſdam paraphrenitides vocatæ, ut & in febribus phrenitides ab hypochondriis, quas accendunt inflammatio ſepti tranſverſi, & coacervatio ſanguinis circa præcordia. Illas comitantur ſenſus quidam gravitatis & plenitudinis, dolor, tumor hypochondriorum & abdominis; urinæ paucæ ſunt, & craſſæ, ſubjugales, febris acuta, atque ad ſuperficiem corporis aſcendens. In his audentiùs ſanguinem mitti poſſe autumabant antiqui. Sed cum illa omnia morbos ſequantur in quibus abundanter facta eſt ut plurimùm ſanguinis minutio, huic remedio nec diù nec multùm ſupereſt inſiſtendum; quod docebit prægreſſa curatio. Quin (8) & ſæpè pro natura humoris coacervati, purgatione omnes illi motus compreſſi ſiluerunt. Sed (9) cavendum diligenter ne in conſortium rapiantur nerveæ partes, quarum tumultus difficiliùs quieſcunt multò, quàm commotiones quas obſtructio ab humoribus commiſit. Nam tunc afflictos ſenſus non reſtituet in integrum, convulſa membra, interiùs ſurſumque retracta præcordia, ſpaſmodicè vexatum ventriculum ductùmque inteſtinalem non demulcebit, immodicum alvi fluorem non reprimet, urinarum ſalutiferam ſcaturiginem non reſerabit, læſæ imaginationis phantaſmata non delebit, injuſſos animi motus non pacabit, ſanguinis miſſio. Tantæ molis opus hoc organo perfici neutiquam poſſe teſtantur ſoli motus hyſterici & hypochondriaci, quibus continendis fruſtrà admovetur.

(6) Galen. in apolog. contrà Julian. cap. 6. Aſclep. ibid. cap. 14. p. 38. ad finem. Proſ. Alpin. de med. meth. lib. 2. cap. IV. p. 96.

(7) Ballon. Epid. lib. 2. p. 163. & paſſim.

(8) Aſclep. apud Cæl. Aurel. ibid. cap. 14. p. 38. item, &c. Ballon. ibid p. 216.

(9) Cæl. Aurel. ibid cap. X. p. 25. principaliter, &c.

Ergò mente motis multum ſanguinem detrahere non conducit.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Hugo Capet.	*M. Joannes Jacobus Meſſence.*	*M. Carolus Payen, Actûs Præſes.*
M. Petrus-Auguſtus Adet.	*M. Carolus-Franciſcus Theroulde de Toulouſe de Vallun, Eques.*	*M. Tuſſanus-Guilbertus Boulland, Conſiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus Caſtelleto.*
M. Jacobus Barbeu du Bourg.	*M. Anna-Carolus Lorry.*	*M. Gaſpardus Cochon du Puy, Regis Conſiliarius & in Arce Maritimâ Rupiforténſi Anatomes & Chirurgiæ Profeſſor Regius.*

Proponebat Pariſiis, CLAUDIUS-FRANCISCUS GRANDCLAS, Pontimuſſanus, Doctor Medicus Pontimuſſanus, necnòn Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1750, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1750.